

MAXIMIS, ET AVGVSTIS
PRINCIPIBVS AVSTRIACIS
RIDVLPHO, HERNESTO,
ET IOANNI,

PAGANVS PAGANINIVS

S. P. D.



ROSSVM Verè dicere in omni vita
superiori illum imprimis diem mihi feli-
cissimum illuxisse, quo ab hinc ad duo-
dequadragesima annos CAROLVM
QVINTVM Casarem Augustum,
quem omnis honoris, & laudis causa nomino, Bononia,
ubi tunc admodum iuuenis Philosophia operam da-
bam, visi, & salutavi, cum ille fuso, fugatoq; Soli-
mano Turcarum Rege è Pannonia, & Germania re-
diens illic illo tempore cum Clemente VII. Pont.
Max. secundò est congressus, cum etiam illi diuino
plañe viro obtuli ex aëtra à me in eius laudem facta,
de versuum numero Centuriam appellata, qua ille
& libentissimè accepit, & regia illa sua, & verè Au-
striaca liberalitate est profecutus. Hac eo felicissimi,
& optimi Principes commemoravi, ut sciatis me iam
pridem fuisse vestrarum cælestium virtutum, & Au-
gusti



20
20
gusti Austriaci nominis vestri mirificum quemdam
prædicatorem: & antea semper (ut tulere tempora)
aliquid, quod ad vestrum omnium laudationem per-
tinet, Latine, atq; etiam Hetruscè aliquando con-
scripsisse, ut etiam in presenti feci. nam de vestro
isto reditu, & itinere scripsi insequentes versus Epi-
cos, & Epigramma, que do, dedicoq; vobis. que si
ut spero, & opto, intellexero non omninò vobis fuisse
ingrata, ne omnium fortunas contemnam. Valete,
& diu viuite diuini iuuenes designati hæredes Imperij
Romani, & Christianæ Religionis defensores, & am-
plectimini ardentè, & cupidè (ut quidem facitis)
veram, & solidam immortalitatis laudem. quod pro-
fectò Austriacorum est Cesarum, & Regum.
Genue exeunte mense Sextili M. D. L. X. I.

AD MAXX: ET AVGG:
PRINCIPES AVSTRIACOS
RIDVLPHVM, HERNESTVM,
ET IOANNEM,

PAGANI PAGANINII

EXAMETRA.



AVSTRIACOS Reges conuectans
classis, & Unà
Extrema florem Hesperia, Heroasq;
creavit

Itala quos tellus, & quos Germania magna,
Liquerat Hispanum littus. Ventisq; secundis
Flantibus, & pelago stagni, mitisq; paludis
In morem latè strato, vada salsa secabat.
Quam comitabatur labentem leniter undis
Omnis Nereidum, Phorciq; exercitus omnis
Extans pubetenus cano de gurgite ponti.
Et proccsisset cum longius illa per equor,
Et scopulos Ligurum, & saxosas tangeret oras,
Subiectamq; oculis Genuam cum cerneret urbem:
Est quo prospectu toto nil pulchrius orbe,
Cum mare stat placidum ventis, aerq; serenus,
Hic chorus, undisonum qui duplex incolit equor,
Tum celsam puppim, quæ princeps dicitur, ad quam

A 2 Consuescunt

Consuescunt reliquæ puppes conuertere cursum,
Et tres quæ Austriacos Reges, proceresq; uehebat,
Incinxit: ducens choreas tranquilla per alta,
Tum cum eduxisset pelagi de fluctibus artus
Totos coniectos alga, muscoq; uirenti.

Atq; ora in numerum soluens ponentibus austris
Per pontum vulgò motus, & carmina uoce
Alterna modulans, feriebat sidera cæli.

Altera pars igitur cætus dum talia cantat,
Altera pars tales referebat in ordine uersus.

Nerei-
dum
Chorus.

Austriaci luuenes geniti de sanguine longo
Induperatorum, & genituri uos quoq; magnos
Induperatores, sunt qui labentibus annis
Natorum longam seriem, prolemq; daturi,
Sidera conuexus dum fulciet aurea mundus,
Saluete æternùm uos ò spes maxima gentis
Augustæ, & columen Romani nominis ò uos
Uos qui eritis, cum firma uiros uos fecerit ætas,

Phorci
Chorus.

Austriaci Heroes nati Maioribus illis,
Sol quibus haud aliud uidit præstantius unquam,
Quam longè, & latè cælo se pandit ab alto,
Seu placidam pacem, seu spectes horrida bella,
Est quorum talis soboles, & tanta futura
In terris, mutos pisces dum proferet æquor,
Dum pluias aer, dum flores de dala tellus,
Saluete æternùm, & felices uiuite longùm.

Si quis

Nereidum
Chorus.

*Si quis enim Heroas vestra de gente creatos
Enumerare velit, citius numerabit Olympo
Ignea quot puro splendent sidera passim,
Nulla tegunt illum cum noctu nubila: cumq;
Luna silens nihil est radijs obnoxia fratris.
Vel quot collucent gemma per mollia prata
Sole recens orto, cum ros, qui decedit ante
Noctu, est passus adhuc vestigia nulla ferarum.*

Phorci
Chorus.

*Vel quot confixi saxi noctuq;, diuq;
Eois longè fulgent adamantes in oris.
Aut in littoribus nostris quot sæpè videntur
Sole repercussæ rutilo splendere arena.
Vel quot se turres in magnis Urbibus, hortis
Vel quot in irriguis se celsa papauera tollunt,
Cum parit omnis ager, cum formosissimus annus,
Arua calor necdum rapidus sitientia torret.*

Nereidum
Chorus.

*Vobiscum nullus Regum certauerit, amplos,
Si velit Austriaci Imperij comprehendere fines
Mente aliquis, pater, & patruus, fraterq; gubernans
Quos longè, & latè: Rex hic qui maximus, ille
Augustus Cæsar qui dictus. nec fuit orbis
Sat vetus: inuenta terra, populiq;, iacentes
Sub Stellis alijs, alio sub Sole, propago
Quos vestra aeternum frenaret legibus equis.*

Phorci
Chorus.

*Vobiscum Heroum nullus contenderit, alto
Si quis secum animo versabit qualia vobis,*

Quantaq;

Quantaq̄ certatim donarunt munera Diui,
Et Fortuna potens . que maxima munera , queq̄
Plurima , vos facitis propria virtute nitere
Multò maiora : & multò iam plura videri .
Sic manus , aut ebori , aut auro decus addere maius
Sapè solet , nostrosq̄ oculos , animosq̄ iuuare .

Nerei-
dum
Chorus.

Felices nimium populos , gentesq̄ beatas ,
Tempore quos vestro , & matura etate regetis .

Diuite iam cornu se fundit copia rerum
Quattuor ad mundi partes veterisq̄ , nouisq̄ .
Enses iam rigidi in falces constantur acutas .
Iam formam accipiunt thoraces vomeris , & iam
Occlusis belli portis viget aurea Pallas .

Et studia illius , que iam iacuere , resurgunt .

Phorci
Chorus.

Et iam Relligio , nostro que tempore (dirum
Ab scelus) accepit miserando in corpore tanta
Vulnera , quanta patet Germania , Gallia quanta ,
Ausae etiam Italiae fines cum inuadere pestis
Hæc fuit horrenda , & gentes tentauit Iberas ,
In melius versa , antiquos agnoscit honores
Ritibus infandis abiectis , funditus omnes
Per populos omni auulsa radice malorum .

Nerei-
dum
Chorus.

Interea ò Fatibus melioribus orte RIDVLPHE
Maxime , mente tuos Maiores concipe magnos
(Quod facis) Heroas . solos propone sequendos
Ipse tibi . magnum imprimis imitare Parentem :

Tu

Tu cuius sceptrum, cum terras ille relinquet,
Accipies regni Romani, & nominis haeres.

Tuq̄ annis HERNESTE minor, virtute sed ipsa
Par fratri, studio ardescas pietatis auita.

Phorci
Chorus.

Regum etenim non vos aliorum exempla valebunt
Ad pulchram tantum virtutem incendere, magna
Ad facta, ad dulcem fama immortalis amorem.

Præter enim quod nos exempla domestica multo
Afficiunt magis: illorum virtutis imago

Præstantis factis aliorum, mente recepta,
Vos sinet haud aliquid noctu versare, diuq̄,

Quod non sit magnum: dignumq̄ propagine vestra.

Nerei-
dum
Chorus.

Tu simul interea IOANNES inclyte, proles
Cæsaris illius pulcherrima, CAROLVS est qui

Dictus per seriem Quintus: clarissimus armis

Qui fuit, & bello, idem seruantissimus equi:

Tu simul interea IOANNES maxime, belli

Est cui summa p̄ij, & tantarum credita rerum,

Ingenij hîc ostende tui lumenq̄, Patrisq̄

(Ut potes) vnius serua vestigia magna.

Phorci
Chorus.

Sic etenim immani Turcarum Rege represso
Ad nos tu venies spolijs Orientis onustus.

Partem tu quorum templis, arisq̄ dicabis

Diuûm, & Pontificum, quos seruat Martia Roma.

Quæ nunc Pontifici paret iustoq̄, pioq̄:

Proq̄ Deo, & vobis prompto profundere vitam.

Ee

*Et sic Parca tibi cum rumpet stamina vita ,
Tu tibi consternes reditum sub sidera cæli .*

Nerei-
dum
Chorus

*Iam Genua Austriacas partes, nomenq̄ secuta
Iamdudum, quantis vos plausibus accipit? ipsa
Quippè via, atq̄ Foci, atq̄ domus, & compita vobis
Quod felix cecidit reditus, gaudere videntur.
Iam sese studio visendi è pontibus altum
In mare productis, de portu, deq̄ fenestris
Effundit. tali pompa, tantumq̄ frequenti
Concursu magnos celebrabat Roma Triumphos.*

Phorci
Chorus

*Sicq̄ Duces victis redeuntes hostibus illa
Excipiebat ouans, magnam terræq̄, marisq̄
Cum regeret partem, & iusta ditione teneret.
Cum cupida Imperij fines proferre, laborum
Egregiè patiens, curaret publica tantum.
Prodiga cum vita, & succensa cupidine laudis
Floruit armorum studijs, & pacis: ad altum
Quæ duo res hominum possunt attollere culmen.*

Nerei-
dum
Chorus

*Iam vos Dux summus sancto comitante Senatu,
Ingenti cum equitum numero, Procerumq̄ caterua
Excipit egressos de navibus, atque salutat
Verbis Austriacam in gentem testantibus Urbis
Mentem hilarem. lateri Senarega cuius adheret,
Cui prudens animus, cui lactea copia fandi.
Iam vos antiquum hospitium, sedesq̄ parata
Accipiunt, quondam coluit quas CAROLVS ingens.*

Et

Phorci
Chorus.

Et quas ANDREAS sibi condidit Auria, fama
Ille ingens, factis ingentior, ille potentum
Ille suo terror Turcarum tempore, quemq;
Terra Ligur luxit morientem, & luget ademptum.

Nerei
dum
Chorus.

Et quas IOANNES ANDREAS inclytus armis,
Excitat ad laudem quem magni gloria Patris,
Nunc tenet, illustri, & magno cum fratre, vetusto
Est qui PAGANVS generis de nomine dictus
Iam vos Austriacum Regum de more vetusto
Visentes maiora Deum delubra, sacrorum
Maximus Antistes Ligurum CYPRIANVS, & alto
Pallauicino natum de sanguine, multa
Quem doctrina olim, quem virtus reddet Olympo,
Astans pro foribus templi, deducit ad aras.
Hic ubi pro tanto bello, & victricibus armis
Pectore concipitis puro immortalia vota.

Phorci
Chorus.

Iamq; feri sacris Diuorum rite peractis
Omnes ornati pulchris insignibus, atq;
Conspicui bullis multo fulgentibus auro,
Frenaq; mandentes spumantia, pinguia vobis
Supponunt placide terga, agnoscuntq;, videntur
Vos de leui hinnitu, leniq; agnoscere gressu.
Vosq; domum reuehunt. & plebs iam lumina figens
In vobis, vos Dijs credit caelestibus equos.

Nerei-
dum
Chorus.

Urbeq; iam media subducta palatia caelo,
Auria que THOMAS valido non corpore, verum

B Forti

Forti animo, tali nec dignus sorte, peritus
Illeq; iusticia, & iuris, quiq; utilis idem
Consilio in pace, & rebus ciuilibus Urbi,
Possidet, auleis auro, argentoq;, magistra
Aq; manu, & tela bombycum diuite textis,
Ornantur vobis Reges, vobisq; parantur.

Phorci
Chorus.

Hic iam IOANNES ANDREAS maxima vobis
Gratificans ponit conuiuia, seq;, suasq;
Hic Genua hic ostentat opes. iam fila canopi
Alba tegunt mensas, ponuntur fercula mille,
Pocula sexcentum, qua argentea, & aurea tota,
Aut de cristallo niueo conflata: renidet
Tota domus, iam vis hic plurima spirat odorum:
Hic iam resposant concentus omnia dulces.

Nerei-
dum
Chorus.

Iam nuruum, & luuenum primorū conuenit ingen
Huc numerus. quorum ornatus, formamq;, iuuenta
Purpureumq; velis lumen si pendere, dices
Hosq; Deos, illasq; Deas de vertice cæli
In terram lapsas, vel dices verius, ipsis
Hos Diuis, illasq; aequales cuncta Deabus.
Hæc verò à sero ad solem conuiuia ducta
Nascentem, mira explebunt dulcedine mentes.

Phorci
Chorus.

Quin patris Oceani ipsius conuiuia, sæpe
Quæ celebrat vasto vndarum sub fornice, magni
Quin etiam Iouis ipsius conuiuia, crebrò
Quæ ponit Diuis habitantibus ardua mundi.

Non

Non his pulchra magis Verè testabitur ullus.
Vix potius cuncta admirans aequalia dicet.
O igitur grandi conuiuia carmine digna,
Omnia quæ summè venientia secula laudent.

Nerci-
dum
Chorus.

Quæ cum diuersis poterunt super æthera tolli
Nominibus, poterunt cum uno super æthera ferri
Nomine præcipuè, ZENOBI A dia quòd illis
Affuit, excellens reliquas sic corpore pulchro
Pulchris corporibus præstantes, lumine mentis
Præq̃ alijs fulgens animorum lumine claris,
Vt nymphas Diana suas, et Lucifer astris,
Aut excellentes omnes his rebus adæquans.

Phorci
Chorus.

Atq̃ alio hæc eadem celebrari nomine digna:
PLACIDIA præfente magis quod pulchra fuisse
Dicentur, nulli veterum Heroïna secunda
Heroïnarum celebris quæ viuet, ut ille,
Græcia quas laudat studiorum mater, & altrix.
Dedita quas armis memorat Saturnia tellus.
Quæ decus est genti patris, stirpiq̃ mariti.
Vtraque sit quamuis præstantibus inclÿta factis.

Nerci-
dum
Chorus.

Tantumdem hæc eadem ornabit conuiuia pulchræ
Placidia formosa soror HIERONYMA, cui vir
Spinula, quæ præstat diuina voce, decora
Quæ præstat facie, & ridenti frontis honore.
Quæq̃ modis præstat diuino corpore miris:
Flaua comas, collumq̃ teres, sed candida membra,

B 2 Rubraq̃

Rubraq̃, quem referunt canentia lilia multus
Puniceis commixta rosis per rura colorem.

Phorci
Chorus.

Augebitq̃, parens conuiuia tanta GINETA
Centum nominibus claris tollenda sub astra,
Quam bonus, & summè felix generavit ADAMVS,
Que veluti socio sublato turture turtur
Nil libans liquidi fontis, nil fluminis undam
Ingemit, aternùm victuri fata mariti
Sic flet, & aternùm flebit, dum luminis auras
Hauriet, atq̃ reget fluidos dum spiritus artus.

Nereis
dum
Chorus.

Ac veluti soboles, genetrix Berecynthia magna
Quam peperit, pulchrum stellantis culmen Olympi
Quod tenet, exornat, sic proles corpore præstans
Quam BATTINA tulit, de sanguine nata Nigrono,
Centuriona domus quo se post sustulit: & que
Iuncta fuit MARCO tædis felicibus, illi
Heroi, qui viuit adhuc celeberrimus orbe,
Hæc præsens angusta magis conuiuia reddet.

Phorci
Chorus.

MARTIA præcipue pulcherrima, parq̃ sorori
AVRETINA, decus seu queras corporis, alta
Seu lucem mentis, quarum Grimalda propago
Se se coniugijs iactat quas PORTIA, quasq̃
LIVIA germanæ, formæ præstantis honore
Exequant, nec non diuino munere mentis.
Quamuis non desint, alijs, quibus una videtur
Pulchrior, hæc q̃ alijs eadem concedere forma.

Et

Nerei-
dum
Chorus.

Et *MAGDALENE*, quæ quattuor ante relatis
Commemoranda fuit, quæ quattuor ante relatis
Prima soror nata est, non illa sororibus illis
Quattuor inferior, præsertim pectore sano,
Prudenti q̄ animo, sub cælum laude ferenda
Ingenti, si fortè libit percurrere tecum
Quonam consilio, cura q̄ domestica tractet,
Imprimis omni affectans cælestia corde.

phorci
Chorus.

Et Lomellini *NICOLAI* è coniuge pulchra
Hæc ornamentum capient conuiuia magnum,
Dieta *MARIA* fuit qua ducta ad luminis oras.
Quam spectans. alijs præponas corpore pulchro,
Quam, spectans alias, postponas. sidus in alto
Non aliter cælo si quod conspexeris, illud
Appelles reliquis formosius, inde q̄ cernens
Stellam aliam, huic reliquas omnes concedere dicas.

Nerei-
dum
Chorus.

Atque Velut Titan semper formosus ab alto
Oceano, quando q̄ caput formosius effert,
Apparet q̄ orbi maiori lampade cinctus,
Luce q̄ maiori splendens, sic lalia Nigra
Pulchra quidem semper, cum hæc ad conuiuia circum
Luminibus quesita diu, multum q̄ cupita
Mentibus, adueniet tandem, formosior illa
Tunc apparebit, & se se augustior ipsa.

phorci
Chorus.

Hæc etiam augebit conuiuia dia *CAMILLA*,
Quæ vidua est viduo *NICOLAO* nupta, secundos,
Ignes

Ignes qui tantum, quantum sensere priores,
Felices ambo agnoscunt, gaudentq; vicissim.
Imperialis erat quondam quæ gloria, quæq;
Auria nunc laus est, quæ talis corpore pulchro
Apparet, qualis pulcherrima pinus in horris,
Aut qualis procera abies in montibus altis.

Nerci-
dum
Chorus.

Ac veluti cælum per sudum argentea Phæbe
Perlans, cum se frater submersit in undis
Oceanis, cuius splendet lumine plena
Illa globum, apparet reliquis formosior astris,
THOMASINA, dedit nomen cui Spinula proles
Sic coniuncta viro, nonnullis pulchrior illic,
Aque alijs eadem formosa videbitur illic,
Iudicia ut varia, & trahit ut sua quemq; voluptas.

Phorci
Chorus.

Ac Aurora velut, reuehens opera, atq; labores
Mane redit varijs inincta coloribus, illa
Pulchra tamen per se, & forma spectabilis ipsa
In se se retinet spectantum lumina fixa,
Non secus ornatu non vno ANTONIA, Francus
Quam pius uxorem duxit Lercarius, in se
Et trahit, & retinet spectantum lumina, per se
Corpore digna quidem, atq; animo pulcherrima dici.

Nerci-
dum
Chorus.

Nec tu prestanti dicenda AVRELIA forma
Carminibus, nostrisq; Choris indicta manebis.
Imperialis amor DAVIDES cuius, & idem
Illius coniux, quorum coniunctius & quam

Nil

Ni best coniugio, vel amore beatius usquam?
Cur te non vidit quondam diuinus Apelles
Pingere cū cepit Venerem? formosior illa
Hanc tui ad effigiem poterat depicta videri.

Phorci
Chorus.

Actu PINELLA de stirpe creata CATETA,
Saulo iuncta viro, nostro celebrabere canis.
Coelestes ne prius vultus miremur honores?
Totius an pulchros formosi corporis artus?
An lepidos mores? & dulcia verba loquentis?
Cur tu temporibus quondam non nata Tibulli?
Hac te tua natus cur non atate Tibullus?
Nota fores huius, non Delia, carmine Vatis.

Nereis
dum
Chorus.

Ah geminus cur te mæror VICTORIA proles
Auria, & Heroi charissima filia patri
Impedit, & retinet patrijs penetralibus altis,
Coniugis, & magni desilentem funera fratris?
Exornasset enim ad summum hæc conuiuia certè
Hæc tua regalis species, & forma Dearum
Par forma, lati q̄ oculi, quos dicere possis
Astra duo, reliquis q̄ magis lucentia cælo.

Phorci
Chorus.

Cur quoque te luctus simplex, ò Auria proles,
Et clari nata ANTONII FAVSTINA, mariti
Marmoreis tenet in thalamis, tectis q̄ superbis
Mærentem extincti fratris crudelia fata?
Hæc decorasset enim conuiuia regia dulcis
Iste tuus sermo, & grauitas, suavis q̄ venustas.
Incessus q̄

Incessusq₃ tuus dius, gestusq₃ decori,
Altaq₃ sub magna prudentia condita mente.

Nereidum
Chorus.

Cur quoque cur idem luctus vos impedit ò vos
PELLEGRINA parens, & nata MARIA IOAN
Gentiles? Verè Gentiles, dictio Thusca (NA
Hæc si nunc fuerit de nomine facta Latino.
Nil etenim fieri vobis humanius vsquam
Est pote: quanta iacet tellus, quantum æquora lata.
Vos laudis solida, & verè virtutis amicos
Vos colitis, pulchri, & fame immortalis amantes.

Phorci
Chorus.

Hæc ornamentum poterant conuiuia multum
Accipere à vobis pariter, pariterq₃ referre.
Quo plures etenim flores, herbaeq₃ virentes
Mollibus in pratis visuntur, quoq₃ comanti
In silua plures tollunt se ad sidera planta,
Prata quidem formosa magis, siluaq₃ videntur.
Et sic sideribus cælum de pluribus altum,
Si contempleris, maius capit incrementum.

Nereidum
Chorus.

Cur quoq₃ semideo HIERONYMA iuncta marito
Auria, quem retinet tractantem Gallia magna
Gallorum cum Rege, procul suspirat amores
Qui te sæpè suos, cur ò HIERONYMA pulchra
Nondum de laribus patrio de more paternis
Existi? & conclusa manes conclauius altis?
Huc etenim lepida, & dia cum matre MARIA
Venisses tu etiam ad conuiuia tanta vocata.

Quæ

Phorci
Chorus.

Quæ vos cœlesti forma, quæ suauibus ambæ
Moribus, & pariter quæ dulci voce, nihilq̃
Quæ sonet humanum, & sexcentum partibus, ipsæ
Quas si vellemus, possemus dicere, vel quas
Vix, si vellemus, possemus dicere, tantò
Quæ vos pulchra magis, magis ac illustria tantò
Vos fecissetis, quanto est præstantius illud,
Vestras quod mentes, illo, quod corpora pascit.

Nerci-
dum
Chorus.

Urbs verò cum vos tanto decorarit honore,
Cum tot communis dederit clarissima signa
Lætitiæ, fidei committens omnia vestra,
Respondete animis paribus, certate referre
Aut potius plura, & letos ostendite vultus
Testes interni affectus, mentisq̃ repositæ.
Idq̃ quod est sanctè coniuncti fœderis, omnem
Rem Ligurem vestris armis, opibusq̃ iuuate.

Phorci
Chorus.

Id FERDINANDVS fecit, & CAROLVS, om-
Cui libertatem Ligures debere fatentur (nem
Post Deū, & ANDREAM, quæ, ptulit Auria proles.
Idq̃ fecit vester genitor, patruusq̃ PHILIPPVS,
Nil quibus est maius terrarum, & sanctius vsquam.
Per quos est diues Genua, & pulcherrima facta,
Italiæ ut nullis, ut nullis Urbibus orbis
Inuideat vel opum numerum, placidam ve quietem.

Nerci-
dum
Chorus.

Iam vos nobilium Genuæ pars magna virorum
Vester auus pace, & bello maternus, & huius

C Filius.

*Filius, à nobis hoc dicti carmine sapè,
Sapeq̃ dicendi, cum res, cum venerit usus,
Quos opibus magnis auxere, & honoribus amplis,
Privati officij causa, ut debere fatentur,
Præq̃ dicant vulgò verbis, & pectore toto,
Vos adeunt, vultu testantes gaudia mentis.*

Phorci
Chorus.

*Imprimis ingens ANTONIVS aurea proles
Auria quem peperit, clarorum magna virorum
Illa parens, cui Martis opus, cui pacis hic artes
Forti animo, atq̃ manu tractans, decus addidit altum.
CAROLVS Heroi cui maxima detulit, illo
In magnis usus bellis terraq̃, mariq̃
Quæ gesit, patria, aut potius quem maximus orbis
Suspicit, admirans illius maxima facta.*

Nerci-
dum
Chorus.

*Nunc qualis bellator equus, cui tarda senecta
Corporis absumpsit paulatim robur, ab armis
Cessat, nec graditur bella ad consueta, sed ille
Alto consilio natura instructus, & usu
Longæuo rerum magnarum doctus, & ipsi
Ad summum patriæ prodest, & regibus ipsis.
Quem de militiæ studijs, pacisq̃ loquentem
Mirantur cupidis astantes auribus omnes.*

Phorci
Chorus.

*Hunc tali officio fungentem, filius alter
Qui maior natu, comitatur, gloria rerum
Quem patris, & virtus quem plurima, non sinit esse
Desidem, & ingenti laudis percussus amore.*

Unam

Unam virtutem Iuuenis complectitur, illamq̄
Aspēctans oculis, obuersans pectore secum,
Dat centum egregiae probitatis signa futura,
Sicq̄ petit veros cui venientis honores.

Phorci
Chorus.

Hunc quoque consequitur fungentem munere tali
Ardenti CAESAR natura filius alter.
Qui secum versans animo Maioribus ortus
Sit quibus, & qualis virtus, & gloria patris,
Ad decus, ad laudem, ad famam se concitat, atq̄
Id solum certamen habet cum fratre, quis armis
Clarior euadat, vel pacis honoribus, & quis
Se magis extollat vera virtute sub astra.

Nerei-
dum
Chorus.

Post hos insequitur NICOLAVS, tanta creauit
Quē quoq̄ progenies, prius ò HIERONYME natus
Ille tibi castis de tædis, deq̄ hymenæis,
Quam tibi muriceo frons est ornata galero.
Tristibus, aut latis in rebus pectore firmo
Qui stat, ut undarum montes Lanterniæ cautes
Contemnens, varij cum iactant equora venti,
Cum miscent etiam terras, atq̄ aethera turbant.

Phorci
Chorus.

En HECTOR Fliscus natorum prole beatus,
Omnes qui referunt antiquæ stirpis honores,
Quæ tot Pontifices, quæ Reges protulit olim,
Ille bonus ciuis, patriæ cupidissimus, ipse
Oppeteret pro qua gaudenti pectore, quiq̄
Vir canæ fidei, & prisca probitatis amicus,

C 2

Vos

Vos adit, & vobis, que possidet, omnia defert,
Agnosces dominosq; suos, rerumq; suarum.

Phorci
Chorus.

Nec tali obsequio desit, qui agnomine dictus
Est quondam à vita, & victus splendore Monarcha,
Et magnis qui nunc titulis, & honoribus auctus,
Atq; opibus, longè reliquis sublimior ille
Euolat, atq; gradus transcendit clarior altos,
Quos tenuit, longùm illustris Grimalda propago.
Ut Regina auium, ut magni Louis armiger ales,
Supra aciem se fert oculorum prapete penna.

Nereidum
Chorus.

Tu quoq; tu pariter Lercari agnomine dictus
Prorex, magnorum proregum more, modoq;
Aut potius Regum qui versas maxima mente,
Et versata animo qui praestas Regia cuncta,
Est tua que in tantam vetus obseruantia gentem,
Atq; tui generis virtutibus omnibus aucti,
Tu quoq; tu pariter submisso vertice tantos
Iam visens Reges patrio de more salutas.

Phorci
Chorus.

Hoc AVGVSTINVS notum Polonia vulgò
Cui dedit agnomen, patrium cognomen adeptus
Qui Lomellino est noto de sanguine, nec non
Imperiale tenens ab auis cognomen honestum
Hoc quoque DAVIDES facit, & testatur uterq;
Externo officio, quàm sit mens intima tota
Regibus Austriacis addicta, & dedita tota,
Dimitijs clari, & factis ingentibus ambo.

Iamq;

Nerei-
dum
Chorus.

Iamq̄ Duces Itali vos visunt, vosq̄ salutant.
Ad vos aut mittunt Legatos. diues agrorum
Imprimis quem Parma colit, quem Mantua, quemq̄
Armorum decus, & pacis Ferraria magna,
Quosq̄ tulere domus clara. Farnesia primum;
Hunc Gonzaga alium, postremum Atestia, quiq̄
Sunt consanguineis dignati uxoribus, & quas
Alto prognatas scimus de sanguine vestro.

Phorci
Chorus.

Et Florentinorū princeps FRANCISCVS, & ille
Ille etiam affinis vester, iam qui indole tanta,
Et tanto Imperio dignus, tantoq̄ Parente.
Et quos Lucensis misit Respublica, vestris
Felix auspicijs. illo de sanguine natus
Princepsq̄ Vrbinas, omnis virtutis alumnus
Est qui habitus semper, Massa cum Principe: virtus
Quem propria, & series longissima laudat auorum.

Nerei-
dum
Chorus.

His actis Genua actutum discede RIDVLPHE,
Tuq̄ HERNESTE simul. properè discedite, quāvis
Hic optarem vos esse diutius. ipsa
Iam pridem ò quantis mater vos Regia votis
Expectat? quantoq̄ magis vos nuntius affert
Aduentare, magis tantò vos optat adesse.
Quodq̄ via reliquum est, auidi, celeresq̄ vorate.
Vot etiam summe expectat Pannonia vestra.

Phorci
Chorus.

Et tu IOANNES, quem belli maxima cura,
Quemq̄ vocant aliò rerum molimina tanta,

Rumpere

Rumpe moras omnes . non te cessare Tirannus
Turcarum patitur . classem conuerte paratam
Hostes in diros . quod si tu feceris , ipse
Ut facies , Cyprum obsessam iam deseret hostis
Impius , & versis signis , & gentibus , ipsis
Extremis Asiae fugens se in finibus abdet .

Nereid
dum
Chorus .

Cuius cum nuper suspensas perculit aures
Nuntius , affirmans fœdus iunxisse perenne
Christiadas , mentem deiecit protinus altam ,
Spes omnis cecidit , quam iam conceperat , omni
Italia , atq; adeò Europa se posse potiri ,
Omnibus & terris , mutatis legibus , ipsa
Religione Deum versa , penitusq; per orbem
Austriacum Imperio sublato , & nomine Regum .

Phorci
Chorus .

Quin nunc ille suis diffidens viribus optat
Intactam Cyprum . iam se se pœnitet ultrò
Commouisse Rei Venetæ lacrimabile bellum .
Hoc unum sentit crimen , causamq; fuisse ,
Ut vestri Reges tanto post tempore tandem
Se se commorint pro libertate tuenda
Communi , & signis referendis , barbarus hostis
Quæ vobis longum discordibus abstulit olim .

Talia cœruleus cœtus dum cantat uterq; ,
(Sed multò breuiora aliquis quæ fortè requirat ,)
(Aut contra cantata alius quæ longius optet ,)
Et leuibus ludic pedibus per marmora ponti

Auribus

Auribus à cunctis auditus, visus, & idem
 A cunctis pariter manifesto in lumine, leni
 Claſſis remigio prolabitur incita terra.
 Cum subito exſploſis tormentis intonat ather,
 Altaq; cum pariter ruere omnia viſa repente,
 Rebus & abduxit nubes fumosa colorem,
 Seq; vadis imis turbarunt cerula, & alte
 Horruit obſcuris ſe attollens vnda tenebris,
 Cum tuba rauciſonos eſflaret plurima bombos,
 Longaq; terrificos tinnitus æra cierent.
 Cum duplex portus, maior curuatus, & alter
 Interior muris redimitus, redderet illos
 Maiores ſonitus, maioraq; murmura cuncta.
 Nec poſt auditi cætus, viſi ve marini.
 Cum ſunt expoſiti Reges, comitatus & omnis.
 Qui fuit impoſitus claſſi, cum ſoluit Ibero
 E' portu, & placidis tumuerunt carbafa ventis,
 Leniter à puppi ſpirantibus omnibus æquè.
 Et cum quiſq; domum repetiuit mente reuoluens
 Singula, & ingenti percuſſus corda ſtupore
 Ob viſa, æqua ferè rebus cæleſtibus ipſis,
 Tanta iterum optaret vulgò ſpectacula reddi.

AD EOSDEM MAXX: ET AVGG: PRINCIPES,
 Idem Paganus.

VT tormentorum ſonitu, & clangore tubarum,
 Quo tremere & terra, & Regia viſa Deum,

Ac-

Aequoris excitus fundo Neptunus ab imo
Cervicem ex undis extulit alta petens,
Vt tribus Austriacis conspexit Regibus ipse
Applausus tantos, letitiasq̄ dari,
Atq̄ illis tribui tantos v̄t vidit honores
A' populo, à Patribus, Principibusq̄ viris,
Vtq̄ habitum illorum stupuit, faciēq̄ decoram,
Invidia plenus talia dicta dedit.
Nescio quid frater Pluton, & Iuppiter, ille
Infernas sedes, hic supera alta tenens,
Nescio quid fratres animo, quid mente volutent,
Hæc cum mortales tanta valere vident.
Certè ego, qui propius prospecto talia, quemq̄
Hæc possunt propius visa mouere magis,
Esse vnus vellem ex illis. deformior ipse
Sum Deus, & nunquam est hic mihi factus honos.
Hæc ait, impatiensq̄ animi, impatiensq̄ doloris
Se vastis mersit fluctibus Oceani?
O res Austriaca ò quanta est hoc tempore, magnis
Inuidiam si Dijs illa mouere potest.
Aut potius, tantis quæ regnis, totq̄ triumphis,
Conditionem hominum vicit, & inuidiam.

In fine Epistolæ, pro Sextili,
legatur Quintili.

Approbavit Inquisitor.

Genuæ, Apud Antonium Bellonum, MDLXXI.

